



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 11. Articuli hoc Concilio agitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. **A.C. 1570.** interrumpere cogebatur, inde autem in Hispaniam reversus a Rege ad Episcopatum nominabatur, quem ipse acceptare recitans inferioribus beneficiis contentus vivere maluit.

§. X.

Concilium Mechliniense.

Labbe Collect. Concil. tom. 15.

Hoc anno Mense Junio Mechliniæ Concilium Provinciale fuit celebratum, cui Martinus Rithovius Yprensis Episcopus absente Perrenoto Granvellano Cardinale, hujusque Urbis Archiepiscopo præfuit. Ibidem de Tridentinæ Synodi decretis ad usum deducendis agebatur, ejusdem vero Concilii actis sese subscripserunt Episcopi sex nimirum Yprensis, Antverpianus, Ruremondensis, Gandavensis, Brugensis, & Buscoducensis præter Maximilianum Morillonium Vicarium Generalem Cardinalis Granvellani Mechliniensis Archiepiscopi.

§. XI.

Articuli in hoc Concilio agitati.

Labbe l. 2. pag. 790.

Præprimis quædam prælegebantur decreta, quorum primo hæc Synodus inchoata declarabatur, altero autem Archiepiscopi absentia fuit excusata, & tertio sancitum, quod ex sedendi ordine nulli præjudicium nascatur: porro quarta

quarto statuebatur, decreta Concilii Tri-
 dentini esse recipienda, ac quinto ea-
 dem decreta recipiendi forma, nec non
 fidei professio præscribatur, dein sex-
 to actum est de absentibus, eorumque
 Procuratoribus, ac septimo Episcopis
 injunctum, ne ullam fidei professionem
 illi, quæ in hac Synodo præscripta est,
 haud consonam admittant: tandem
 octavo præceptum, ut Episcopi suarum
 Diæcesium Ecclesias etiam exemptas
 lustrent, ac ibi, si in illis statuta, vel
 decreta Tridentino Concilio adversa re-
 pererint, eadem corrigant. His per-
 actis recitabantur novem capita de Ba-
 ptismo, quinque de promovendis ad
 Sacros Ordines, septem de sponfalibus,
 & Matrimonio, octodecim circa cele-
 brationem Divini Officii, quinque de
 festorum observantia, duo de jejuniis,
 & totidem circa sacras Imagines, duo
 de Indulgentiis, & superstitionibus,
 quatuor de Episcopis, atque eorum Offi-
 ciis, sex de juribus illorum, qui Epi-
 scoporum literas expediunt, novem de
 Ecclesiæ Ministris, eorumque residen-
 tia, duodecim de officio Decanorum in
 Christiana Republica, necnon de Pa-
 rochis, quinque de vita, & moribus
 Clericorum, tres de eorumdem corre-
 ctione, tres de scholis, earumque fun-
 dationibus, novem de Catechismis, &
 doctri-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1570.

Sæcul. XVI. doctrinis, quæ singulis diebus Domini-
A.C. 1570. cis populo sunt propinandæ, duo de
 Seminariis, quatuor de beneficiorum
 unionibus, septem de denuntiationibus
 & bonorum Ecclesiasticorum conserva-
 tione, undecim de Religiosis, ac Mo-
 nialibus, duo de literis Apostolicis, &
 Judicibus Delegatis, ac denique unum
 decretum de usuris præter duo de Vile-
 tationibus. Demum huic Concilio fi-
 nis imponebatur die decima quarta
 Julii.

§. XII.

*Calvinistæ per suos Deputatos Regi
 pacem offerentes.*

Thucm. l. 47.
Mem. de
Castelln.
l. 7. c. 12. Interea in Galliis Religionis bellum con-
 tinuato furore ardebat, ac Calvi-
 nistæ urbes hucusque amissas recupere-
 rare totis viribus nitentur, quamvis
 autem eorum molimina non penitus
 frustranea essent, nihilominus exeunte
 anno priori millesimo quingentesimo se-
 xagesimo nono rursus de pace mentio-
 nem ingerebant, a Rege postulantes,
 ut eis non solum conscientiæ, sed etiam
 publice, & ubique per totum Regnum
 conveniendi, ac religionis suæ exerci-
 tia peragendi libertatem concederet, id-
 que salva dignitate, & honore ipsis li-
 ceret, quam in rem petebant, ut re-
 scinderentur, atque abolerentur pronun-
 tiatæ